

WILSON, J. E. (1954), *Clusia*
10:
C.

PA
3523
W54





4^o 1085

367

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXIX - LXXX

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

IN EST

(ADALRICI DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF
COMMENTARIOLVM GRAMMATICVM.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNKE,

MDCCCLXXIX.

PA
3523
W54

LIBRARY
739098
UNIVERSITY OF TORONTO

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

R E C T O R

CAROLVS FR. W. H. HAEBERLIN

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Cum ad sollemne munus accingimur ut grammatico commentariolo lectionum proxima hieme habendarum indicem ornemus, impium foret nisi maesto simul simulque grato animo praeclari conlegae recordaremur nuper nobis crepti qui grammaticam per plus duodecim lustra in universitate nostra professus singularem plane et eruditionem et eloquentiam in hisce prooemiis scribendis praestitit. ac maestitia quidam facile temperatur, quoniam gravissimum virum cui nec turpem Latous donaverat senectam nec cithara carentem vocatus deduxit Mercurius ad *λυμέναν ἀνιῶν*, ut poeta loquitur familiaris GEORGI FRIDERICI SCHOEMANNI. grata vero recordatio no umquam obliteretur non veremur: pietate enim qua viros de se bene meritos prosequitur grammatica ceteras artes longe superat omnes. sed neque id volebamus omittere quin vestris studiis, commilitones dilectissimi, denuo commendarem Schoemanni prooemia quae quidquid ille scripsit doctrina aequant, suavitate superant, et gratum accedit ut versiculum olim a Schoemanno verissime emendatum a dubitationibus defendere possemus, quibus ne ipse quidem fortiter restiterat.

Apollonius Archibii f. s. v. *κνώδελα* nobilissimos hos adfert ALCMANIS versus qui in unico codico Coislino ita scripti sunt *εὐδουσι δ' ὀρέων κορυφαί τε καὶ φάλαγγες πρωτονές τε καὶ χαράδραι, φῦλά τε ἐρπετά θ' ὅσα τρέφει μέλαινα γαῖα θῆρες τ' ὄρεσκαῶνι καὶ γένη μελισσῶν καὶ κνώδελα ἐν βένθεσι πορφυρῆς ἄλός· εὐδουσι δ' οἰωνῶν φῦλα ταυνοπερύγων.* Laconicam dialectum ab Alemane paene puram servari, ita ut in melicis numeris nonnulla admisceat Lesbica, pauca epica in hexametris, hodie certissime licet adfirmare. sed subsidia quibus sensim ad hanc scientiam progressi sumus nuper demum comparata sunt et in hoc quidem fragmento pristini coloris vix vestigium relictum est. tamen Schoemanni incorruptum iudicium non latebat et litteram *vau* in qua sola voce requiritur tantum non comparere manifestam et θ' ὅσα corruptam esse ex *τόσσα*. nos mendam inferre dicimus quicumque aliter scribunt: nam et ab Alemane numquam neglectum esse *r* in vocabulorum principiis et pronomina relativa apud Laconas a

consona incipere possunt videre quibus oculi sunt.¶ nec alia minus luculenta. tertiæ declinationis dativus βένθεσσι duplex flagitat sigma: μελισσᾶν, ὄρέων necessaria; εὔδουσιν immane; ambiguum fortasse utrum Aeolicum εὔδοισι, quod posterioribus lyricis placuit, an vernaculum εὔδοντι prætulit. sed peregrinam formam admissam esse ubi ad numeros non erat commodior parum est verisimile (atque fieri potest ut Pindarus ipse ad hanc amussim exigendus sit); restituimus igitur et hic et fgm. 34, 4 Doricam. haetenus male sedulam librariorum atticissantium curam abstersimus: quæ quoniam in πορφυρῆς non potest culpari alius error circumspiciendus est: obtort se omnium levissimus, itacismus. scripserat Aleman πορφυρεοῖς, tribus illud syllabis efferendum, qualis synizesis alterum exemplum est in tetrametro dactylico θεοῖσι ἐλάτῃ πολύφραμος ἐορτά (34). grammaticorum eorum somnia qui corrupta dialecto decepti θιός vel adeo σιός invexerunt ultro dissipantur. solam respeximus grammaticam, at attendatis quæsumus, commilitones, quantus vigor simul adereverit antiquæ poesi. profunda maris purpurei ubi dicimus, adiectivum ponimus, quod epico more pulere quidem colorem maris qualis esse solet depingat, peculiari autem vi omnino destitutum sit: contra quod Aleman monstra in purpureis maris profundis cubare voluit, color quoque ad nocturnæ quietis tempus quod cum maxime describitur facit. multo hoc pulerius: atque si antiquissima quæque cum elegiacorum tum lyricorum carmina perlustraveritis, similem nativæ artis saporem non sine magna voluptate percipietis. meminimus Odofredum Muellerum idem de summo poeta monuisse Archilochæ; de Pindaricæ artis admiratione non nihil fortasse detrahetur: incedit enim ille, ut Homericarum plerique, κελεύθῳ τίς πολλοῦς ὦδε καὶ ὦδε φέρει. de numeris fragmenti Alemanici quæ et multa et gravissima sunt dicenda huius scriptionis modum excedunt; proponimus tantum ipsos versus quales iustæ reliquiarum Alemanicarum editioni, qua opus est, inserendos esse arbitramur

εὔδοντι δ' ὄρέων κορυφαί τε καὶ φάραγγες
 πρωτόνές τε καὶ χαράδραι
 φῦλά τε φερπετὰ τόσσα τράχει μέλαινα γαῖα;
 καὶ κνώδελ' ἐν βένθεσσι πορφυρεοῖς ἄλως
 θῆρες τ' ὄρεσσιφίσι καὶ γένος μελισσᾶν,
 εὔδοντι δ' ὄνειρων φῦλα τανυπερύγων.

Alemanī subiungimus Sapphiv fragmentum 56, quod inperite spreta optimorum codicum fide interpolari cum olim gravabamur tum ferendum non esse amplius duximus, postquam hoc uno naevo deformari vidimus perfectissimum Kekulei libellum, quod dignum munus Instituto archaeologico Capitolino nuper obtulit universitas Bonnensis. olim hos versus excerpterat doctus grammaticus (Trypho?) ut ex trisyllabo ὄων demonstraret vulgari ὄόν adscribendum esse iota mutum. cuius disputationem altero p. Ch. sæculo exeunte compilarunt duo homines uti ætate et patria ita multiplici lectione et profusa compilandi libidine aequales, Herodianus atque Athenæus, quorum alter hodie a plerisque pæne divinis honoribus adfici solet, quasi proprias expromeret divitias, alteri vel pueri maledicunt, quasi nihil non furatus esset; neuter nimirum recte legitur. ex Athenæo igitur Sapphica hæc servavit epitoma φασὶ δὲ ποτε Λήδαν ὄιον εὔρειν; ad Herodianum iure rettulit Lentzius quæ in Etymologico Magno s. v. ὄόν leguntur aliter in

aliis codicibus corrupta, ut tamen recensio facile recuperet φασὶ δὲ ποταμὸν ληδανὸν ὑακίνθινον πεπυκασμένον εὔρειν ὄϊον. unde qui versus exculpabant in hoc miro iudicio conspirabant ut ποταμὸν ληδανὸν ex ποτε Λήδαν, quod apud Athenaeum est, arbitrarentur corruptum. inde numeri nulli, susque deque cuncta. atqui res simplicissima est; neque residet dubitatio nisi in ultimis voculis, quippe in quarum conlocatione testes dissident. nescimus utrum Sapphus carmen ex priapeis constiterit κατὰ στίχον repetitis an ex glyconeis κατὰ σχέσιν continuatis intercedente κατὰ περιουρισμούς ἀνίστους pherecrateo. hyacinthinum ovum quale esset non intellegebamus: hyacinthinum dici Eurotam libenter audimus, quamquam utrum ab hyacinthis ita dicatur an ab Hyacintho non est quo diiudicemus. haec igitur non sine voluptate lecturum esse Kekuleium speramus

φασὶ δὲ ποτα Λήδαν
ὄν ὑακίνθινον πόταμον πεπυκασμένον ὄϊον
εὔρην

Athenaeus xiv 616 sq. librum excerpserit ignoti auctoris, sed vix post in a. Ch. saeculum scriptum, cui cum alia dithyrambographorum debemus fragmenta, tum PRATINAE hyporchema et numeris et verbis et sententiis pariter admirandum. anapaestos κατὰ σχέσιν sine paroemiacis continuatos excipit genus illud quod et vulgo dicitur et ab ipso Pratina dictum est Dorium. quod singulari plane artificio ita conformatum est ut primae tantum periodi membris dactylicis instructae sint, mox sola trochaica metra et solutionibus et detractionibus paene ad Aeschyleam copiam distincta sequantur, denique dactylorum vice ithyphallici fungantur, qua copulatione Pindarus quidem abstinuisse videtur, dithyrambus Atticus vero in primis delectatus est. non possumus facere quin integros adponamus versus, quamquam plerique cum ab aliis tum a Bergkio recte et discreti sunt et emendati.

τίς ὁ θόρυβος ὄδε; τί τάδε τὰ χορευόμενα; τίς ὕβρις ἔμολεν ἐπὶ
Λιονυσιάδα πολυπατάγα θυμέλαν; ἐμός ἐμός ὁ Βρόμιος,
ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν ἀν' ὄρεα σύμενον μετὰ Ναιάδων
οἷά τε κύκνον ἄγοντα ποικιλόπτερον μέλος.
5 τὴν ἀουδὴν κατέστασε Πιερίς βασιλείαν· ὁ δ' αὐλὸς
ὑστερον χορευέτω· καὶ γὰρ ἔσθ' ὑπηρετάς·
κόμοις μόνον θυραμάχοις τε πυγμαχίαισι νέων θέλοι παροίον
ἔμμεναι στρατηλάτας.
παῦε τὸν φρονίου ποικίλου πνοὴν χέοντα,
10 φλέγε τὸν ὀλεσισιαλοκάλαμον λαλοβαρύσπα βραδυπαρχαμελορυθμοβάταν
θῶπα τρυπάνῳ δέμας πεπλασμένον.
ἦν ἰδοῦ, ἄδε σοὶ δεξιά, καὶ ποδὸς διαρριφά, θριαμβοδιθύραμβε,
κισσόχαιτ' ἄνῃ ἄκουε τὴν ἐμὴν Δωρίον χορείαν.

v. 7 θέλει codicis emendavimus, cetera a Bergkio non discrepant. sed v. 9 locum sibi flagitavit Emperii acutissimum inventum, qui φρονίου ex φρονίου, πνοὴν ex προαν fecit; χέοντα ex ἔχοντα alii quodam modo praecierant. summi critici erat, variun bubonem vario cyeno oppositum

pervidere: summi poetae absurdum flatum claris vocibus ita opponere. Pratinas quid cum omnino tum hac comparatione voluerit nihil melius inlustrat quam Aristophanearum ranarum chorus, qui proterve coaxat quoad renigis celeritas *καλευστοῦ* halitum superat. ac Stygiae quoque paludis incolam Musae Pan Apollo amarunt *ένεκα δόνακος ὄν ὑπολύριον ένυδρον έν λίμναις τρέφει.* ex v. 10 polysynthetis primum Bergkiius egregie recuperavit, alterum codex servavit, tertii primae tres syllabae perierunt: e quibus vulgo ultimam tantum resuscitant, metro iugulato. nec sufficit ut tibia raucō sono ganniens ita incedere dicatur ut rythmum neglegat atque pervertat: hoc etiam velocitate fieri potest. sed uti superbus ales reptili bestiolae oppositus est, ita numerorum volubilitatem catenus auctam voluit Pratinas, ut tibi cinis tarditas frustra salivam perderet. v. 11 initio *θυπx* traditum est; quo quoniam substantivum obscurari manifestum erat, non male Hartungus *θῆπx*, quod nobis quoque olim in mentem venerat: donec verum indagavimus.

A Pratina ad Aeschylum eo libentius transimus quod hic poeta, cuius maiestate incorruptam adolescentiae alacritatem acerrime commoveri et ad virtutem excitari ipsi sensimus, senectuti fidissimum socium atque amicum se praebuit ut olim Welckero et Hermanno ita nuper Schoemanno nostro. cuius curae Aeschyleae ut pauca progenuerint duratura, id tamen ab hoc potissimum potestis discere, commilitones, quod in summo Graecorum poeta intellegendo summum est: animum pium atque religiosum. alienum a tristi superstitione ignavaque credulitate, non minus alienum ab adroganti captatae humanis ratiunculis divinae veritatis iactatione. quin Aeschyli tragoedias tanquam sacram scripturam legas, nunquam intelleges. contra recenti ab Oresteae lectione si tibi hodierni sapientes declamitaverint, deos Atheniensium natos esse tanquam fumum ex fulgore aut tanquam fungum ex pluvia, ridebis, si in re sacra ridere poteris. sin minus optionem propones sacrilegae absurditati apud inferos aut Oeni asellum pascendi aut Pyriphlegethontem cribro hauriendi, ipse autem admiraberis antiquos illos Athenienses qui *ένδεικνυνται τὸ έργον τοῦ νόμου γραπτὸν έν ταις καρδιαίς αὐτῶν, συμμαρτυρούσης τῆς συνειδήσεως καί μεταξὺ ἄλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἑ καί ἀπολογουμένων.* at hercle difficillimum est emendare tragoedias quas ut intellegamus in rebus et sacris et publicis versari debemus sicut eupatrida et Eleusinius. fortasse nos quoque poenas dabimus audaciae, sed profecto non istis iudicibus qui hodie censuram agere se simulant dum ipsi cottidie emendatiunculas procreant bestiolis illis similes quas in Hypani fluvio eadem luce et nasci ferunt et mori. istos *βιάται ἃ τάλινα Πειθῶ Προβούλου παίς ἄφερτος Ἄτας. Ἄτας δὲ πᾶν μάταιον. οὐκ ἐκρύφθη, Πρέπει δὲ φῶς κινολαμπές πίνος. Κικλοῦ δὲ χαλκοῦ τρόπον Τρίβω τε καί προσβολαίς Μελαμπαγῆς πέλει Λικαιωθεΐς. ἐπεὶ Λιόκει παίς ποτανὸν ὄρνιν, Πόλει πρόστριμμα θεΐς ἄφερτον. Αιτᾶν δ' ἀκούει μὲν οὔτις θεῶν· τὸν δ' ἐπίστροφον τῶνδε φῶτα Δίκα καθαιρεΐ.* Iustitiae si hoc loco suum tribuimus, Atc fortasse non criminabitur alterum hunc *Δίκα δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει Βλάβας Πρὸς Ἄτας θηγάνας μάχησαν.* leguntur haec in ultimo Agamemnonis cantico, de quo habemus quod dicamus. constat ex tribus stropharum paribus quae chorus canit; chorum dicimus, nam Hermannii cum haec tum alia inter singulos chorentas dispescentis errores silere praestat. choro anapaesti Clytaemnestrae respondent, quos idem Hermannus consimili errore antistrophicos reddidit, quasi antistrophicum esse posset carmen recitationi non cantui scriptum, e numeris constans *κατὰ σχέσιν* continuatis. lacunas igitur et interpolationes quibus

opus est ad hanc sententiam sustentandam valere iubemus. sed alteri stropharum pari sub-
iunctum est ephymnium, constans ex interiectione intra numerorum continuationem non recepta,
anapaestis aliquot, denique paucis logaocdis. simile systema primam stropham sequitur constans
ex interiectione, anapaestis, logaocdis, iambis. tertiam denique non dissimile excipit, sed hic
interiectio in anapaestos recepta est, quorum numerus multo maior, denique logaocdica membra
duo, iambicum unum. nihilo tamen secius Godofredus Hermannus auctoritate sua pervicit ut
haec intor se respondere crederentur et ut responderent violentissimis mutationibus cogentur.
taliam refutare esset otiosi. sunt primae tertiaeque syzygiae ephymnia. iteranda post antistro-
phos, in codicibus semel scripta, quod de Cyclopiis Euripideae parodo Kirchlhoffius monuit; alia
exempla idem in Aeschylis Choephoron stasimo paene ultimo, in Eumenidum primo ante aliquot
annos amicis commonstravit; neque hoc diligentiam eius effugisse credimus. impetus chori quo
tumidi Clytaemestrae animi sensim restringuntur donec sceleris eam poeniteat nunc demum
ingenti sua vi praeditus est. quod in ultimo ephymnio nemo non sentiet Aeschyleae acer-
bitatis peritus. in primo, quoniam tradita lectio simul est restituenda, docebimus. incipit igitur
chorus planetum, vitae se taedere cum Agamemno per mulierem obierit, tot aerumnis propter
mulierem exantlatis. ephymnio Helena devovetur, quam *παρετυμολογίζων* dicit "Ἔριν ἐρίδματον
ἀνδρὸς οἰζύν" fuisse. remittitur ita lector ad superiorem etymologiam *ἑλένης ἑλένηρ ἑλέπτολις*,
atque ibi quoque Achaici ad Simoenta adpellebant δι' Ἔριν *ἀμυγτόεσσαν* (hinc etiam profectus
Euripides Helenam "Ἔριν Δαναῶν dixit in Helenae cantico quod nuper restitutum est in Hermac
vol. xiv p. 180). Clytaemestra non habet quod opponat, nisi ut neget Helenae tantum fuisse
facinus. at chorus, quasi non audisset illam, daemonem invocat qui Atridarum domum per
mulierum nimiam potentiam everterit

1473 ἐπὶ δὲ στόματος δίκαν κόρακος ἐχθροῦ σταθεῖς ἐνόμως
ὑμνον ὑμνεῖν ἐπέύχεται <νεκρῶν>

"ἰώ,

1455 παράνους Ἑλένα, μία τὰς πολλὰς, τὰς πάνυ πολλὰς ψυχὰς ὀλέσσα' ὑπὸ Τροίᾳ,
νῦν τέλειον πολύμναστον ἐπηγήσω

1461 δι' ἀμ' ἀνιπτον· ἢ τις ἦν τότε ἐν δόμοις Ἔρις ἐρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς."

1475 ΚΑ. νῦν δ' ὄρθωσας στόματος γνῶμην κτέ.

adparet nunc demum iustam esse sententiarum continuationem. repetit chorus ephymnium,
verum ita ut non sua verba sint sed daemonis. nunc Clytaemestra consentire potest. nunc
ἐνόμως illud v. 1473 tandem vim suam accipit: nunc intellegimus, quod antea sensu erat
cassum, daemonem non simpliciter dici naeniam canere, sed eo gloriari quod iure canat nae-
niam. atque cum antea non sine specie veri de antistrophis integritate dubitatum sit, nos tra-
dita servamus omnia; lacunam manifestam ex usu Euripideo explevimus, sed nihil potest
adfirmari nisi intercidisse quod de hymno praedicaretur. etiam in ephymnio tradita resti-
tuimus omnia; tantummodo ubi nos τέλειον metro suadente dedimus codices δὲ τελείων habent,
particula proterve interpolata. cum antecedens participium ad vocativum adpositum esse vido-
retur. nam quod librariorum latuit, Aeschylum ex verbo ἐπηγήσω suppleri voluisse substantivum
ἄνθος, ut per sanguinem non eluendum ultimus flos effloruisse intellegeretur, cuius sero in-

teriret memoria — id nolumus acerbius castigare. hic enim usus quamvis minime rarus per-
saepe vel doctissimos fofellit; dixit de eo Hauptius cum alibi tam copiose Op. II 301.

Qui Aeschylum tetigimus ne ab HOMERO quidem manus continemus. itaque sacrile-
gium clamabunt qui Alexandrinorum grammaticorum παραδόσεως sese aedituos iactant. Alexandrini
Pergamenique grammatici, e quorum doctrina non Homeri tantum sed omnium omnino poeta-
rum studia pendent, non contradicarent; hi veterima carmina etiam coniciendo emendanda esse
crediderunt; nimirum ingentem fecerunt coniecturarum numerum, bonarum et malarum.
elegantissime aliquando Lehrsius dixit Aristarcheos non eos esse qui Aristarchi doctrina essent
initiati, sed eos quos olim summus iudex se contra esset statuturus: nos igitur confidimus
Aristarcheos in novissimo iudicio iudicatum iri Aristarchum et Zenodotum, Lehrsium et Bek-
kerum. nec Nauckio sua sedes deerit. sed quicumque in unius cuiusvis grammaticorum
placita iuraverit, aut rerum ignorationi speciosum novae grammaticae nomen praetenderit, is
dextrorsum agetur, nisi potius sinistrorsum.

Ω 292, 3 = 310, 1. Heecba Priamum iubet a Iove augurium petero

ἀίτει δ' οἰωνὸν τυχὸν ἄγγελον ὅς τέ σί αὐτῷ
φίλιτατος οἰωνῶν καί εὐ κράτος ἐστὶ μέγιστον.

prioris versus τυχὸν fortasse soli debetur coniecturae eique serae. nam solis debetur codicibus,
contra ἔδν ἄγγελον habet Papyrus Aristarcho non multo recentior, paraphrasta homo sobrius,
Apollonius Dyscolus, scholiasta Townleianus eo grammatico qui IV viros excerpsit antiquior,
icis A scholion intermarginale. nihilo minus falsum est, invecum ex v. 296. v. 293 εὐ
losis, neque multum valet varia lectio σί vel Zenodoti scita coniectura οὐ. in fine traditur
τον et μέγιστα eadem fere auctoritate: eadem etiam absurditate. nam sicut μέγιστα nullam
admittit explicationem (neque quo pacto μέγιστον ita corruptum sit intellegimus) ita
μέγιστον dupliciter perversum. arbitrantur ibi regnum significari quod aquilam in aves
exercere nobis Aeschylus primus testatur, sed tradiderat sine dubio Aesopus Iadmonis Samii
servus et antiquis fabulis adserit scholiastarum doctissimus Townleianus. poterat igitur etiam
hic poeta nosse, sed non poterat ita pronuntiare. οὐ τὸ κράτος τῶν οἰωνῶν ἐστίν, ᾧ Ζεὺς τῶν
ἄλλων βασιλείαν ἔδωκεν ὄρνιθων, tale quid expectatur. neque sine causa veteres fabulam cir-
cumspiciebant qua cur Iovis ales aquila esset exponeretur. deinde εὐ male ad aquilam referri,
cum σί modo Iovem significasset, iam Zenodotus rectissime intellexit. negamus ullam expli-
cationem probari posse quin pronomen utrobique eandem faciat significare personam. cur enim
nolebat dicere τοῦ καὶ κράτος ἐστὶ μέγιστον? quae cum ita sint et μέγιστον et μέγιστα inperita
nobis videntur versus mutilati complementa: et quam male habita haec potissimum rhapsodia
(similiterque Θ) Alexandriam pervenerit frequentes satis docent lacinae. quod placeat Iovis
mutatio suppeditat καί εὐ (sive σί) καὶ κράτος ἐστὶ (311 σοί vel σευ). aquilam in Iovis capite
sedentem vel potius Iovi supervolitantem Aristophanes quoque facit Av. 515 ὁ Ζεὺς γὰρ ὁ νῦν
βασιλεύων ἀετὸν ὄρνιν ἐσττικεν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. ineptis quibus hic ipse versus temptatur
coniecturis non est cur respondeamus.

Aristophanes Athenas nos deduxit, ac nefas de Schoemanno loquentem rei publicae
Atheniensium non libare. memorabilem igitur vocem quam nuper ex lapidibus Atticis surgere

iussit Kirchhoffius leviter obscuratam ostendimus in aureo de Rep. ATHENIENSIVM libello. principium alterius capitis non potest reprehendi ita scriptum τὸ δὲ ὀπλιτικὸν αὐτοῖς, ὃ ἤμιστα δοκεῖ εὖ εἶχειν Ἀθήνησιν, οὕτω καθέστηκε· τῶν μὲν πολέμιων ἤττους τε σφᾶς αὐτοὺς ἡγροῦνται καὶ ὀλεΐζους, τῶν δὲ συμμάχων, οἱ φέρουσι τὸν φόρον, καὶ κατὰ γῆν κράτιστοί εἰσιν. prius enuntiatum launosum esse ratus est Kirchhoffius, ut est in hanc medicinam paullo propensior: nos vitium sustulimus deleto καὶ quod in codicibus est post καθέστηκε, ultimae syllabae dittographia. quae secuntur diu est ex quo emendantur, magno molimine, fructu nullo; nam ὀλεΐζους faciendum esse ex μεΐζους nemo poterat videre antequam Atticam hanc vocem esse constitit. contra i 14 μεισῶν alienae coniecturae obsecutus huic scriptori concessit Kirchhoffius: nos Xenophonteo vocabulo Archeptolemum aliquem aut Lycurgum usum esse negamus. in traditis autem περὶ δὲ τῶν συμμάχων ὅτι ἐκπλέοντες συκοφαντοῦσιν, ὡς δοκοῦσι, καὶ μισοῦσι τοὺς χρηστούς non tam μισοῦσι displicet quam modeste vel potius absurde additum ὡς δοκοῦσι. adumbravit, ut videtur, scriptor causam socii ad iudicium Atticum delatam καὶ συκοφαντοῦσι καὶ διώκουσι καὶ ἀτιμοῦσιν. laeunis Kirchhoffianis careri potest i 10 ubi haec nobis certe perplacent εἰ νόμος ἦν τὸν δούλον ὑπὸ τοῦ ἐλευθέρου τύπτεσθαι ἢ τὸν μέτοικον ἢ τὸν ἀπελεύθερον, πολλὰκις ἂν οἰηθεὶς δούλον εἶναι τὸν Ἀθηναῖον ἐπάταξες ἄν. codices οἰηθεὶς εἶναι τὸν Ἀθηναῖον δούλον ἐπάταξεν ἄν. mutavimus verborum ordinem, et quamvis a difficillima medicina fere refugiamus tamen alteri loco eandem adhibendam esse arbitramur. i 18 civis socius cogitur plebi Atheniensi adulari γυγνώσκων ὅτι δεῖ ἀρκιόμενον Ἀθήναζε δίκην δοῦναι καὶ λαβεῖν οὐκ ἐν ἄλλοις τισὶν ἄλλ' ἐν τῷ δήμῳ, ὅς ἐστι δὲ νόμος Ἀθήνησιν, καὶ ἀντιβολῆσαι ἀναγκάζεται ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ εἰσιόντος τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς χειρὸς. quae elementorum intervallis distinximus vocabula in finem sententiae traicienda esse particula δὲ explicite monet, qua non legem publice sancitam sed abusum paene in legis speciem dominantem perstringi manifestatur. proxima paragraphus genuinam veteris Atthidos εὐπίνειαν refert sic scripta ἐμελέτησαν δὲ οἱ μὲν πλοῖον κυβερνῶντες οἱ δὲ ὀλακάδα· οἱ δὲ ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρεσι κατέστησαν, οἱ [δὲ] πολλοὶ ἐλαύνειν εὐθύς [ὡς] οἱοί τε <εἰσὶν> εἰσβάντες [εἰς ναῦς] ἕτε ἐν παντὶ τῷ βίῳ προμεμελετηκότες. ὡς iam Leonclavius deleverat: εἰσὶν deesse senserat Wachsmuthius, qui quod εὐθύς εἰσιν οἱοί τε scribebat verba soloece conlocabat. sunt conpluria alia quae in hoc libello emendasse nobis videmur, sed seponimus ea: terrent vestigia eorum qui post Kirchhoffium libri sospitatore[m] huc accesserunt. emendationis instrumentum quae- rendum est, quoniam per litteras Attici sermonis nondum rhetorice fucati alterum non accepimus documentum, ex lapidibus. qui describi coepti sunt iam in et II a. Chr. saeculo, atque quae- cumque ex eius aetatis conlectaneis supersunt fragmenta ut conlecta denuo et emendata pro- ponantur optandum est. legum sacrarum fragmenta uno nomine nos augere posse laetamur. vulgo inter historicos ferunt Themisonem Pallenidis scriptorem. hominem ignotum esse con- sentiunt, de libri inscriptione diversa comminiscuntur. quae missa facimus quia ipse Themiso librarii errore prognatus est. Pallenis vero nihil aliud significat nisi notam terrae Atticae regionem. Athenaeus enim vi 235 scripserat Κλειδήμος δ' ἐν τῇ Ἀτθίδι φησί "καὶ παρσίτοι δ' ἤρεθθησαν τῷ Ἡρακλεῖ." καὶ θέσιμιον δ' ἐν Παλληνίδι "ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλέα τὸν ἀεὶ βασιλεύοντα καὶ τοὺς παρσίτους ὡς ἂν ἐκ τῶν δῆμων προσακροῶνται (προακρ. codex) καὶ τοὺς γέροντας καὶ τὰς γυ- ναῖκας τὰς πρωτοπόσεις." alium ex Pallenidis monumentis titulum paullo ante ex Polemone

proposuerat Athenaeus "πάδε ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν κτέ. ita enim haec describenda sunt. ac fieri potest ut ex eodem auctore θέσμων sumptum sit; sed neque hoc tam certum est quam videbatur Prellero Polemonis p. 117, quandoquidem Clearchi testimonio Athenaeum quam Polemonem usum esse multo probabilius est, nec Legis Regiae reliquiis haec verba inseri ea de causa debent, quod Pollux ex illa πρωτοπόσεων nomen adfert in 39; is enim mulieres istas in συγγενικῶ nominat, fortasse ex ipso Aristophane; ea vero quae de parasitis profert vi 35 manifesto ex Cratete Atheniensi, Atticarum locutionum conlectore, pendent quem Athenaeus paullo infra excerpsit (235^b sqq.), nequaquam ex Polemone.

Etiam oratores Attici in Schoemanni sui honorem stipem conferant. quos quoniam ille, quem inscriptionum thesauri fere deficiebant, tamquam iuris Attici fontes tractare solebat, libet declamationis locum proponere, ex quo cum alia minime probanda concludi solent tum capitis deminutionem subisse siquis aut in vincula aliquando fuisset coniectus aut magistratum sortitus esset reprobratus. orationis in Aristogitonem prioris § 30 declamator figura usus exemplificationis, *si quis legem ferret, inquit, ut solis in contione verba facere liceret iunioribus aut solis classicis, capitis a vobis damnaretur tamquam perduellis, atqui multo hoc tolerabilius esset quam rogante Aristogitone aliquo contionandi facultatem arripere ab egressis e carcere, nativitate patre more maiorum caeso, in magistratu incendo reprobratis* -- et sic deinceps. nam quid multa? patet haec non ex lege sumi, sed immania vocari et abominanda quia in Aristogitone sunt aut esse finguntur. qui aliter sentit, etiam ultimum membrum formulae inserat necesse est, τοὺς πονηροῦσάντων καὶ δοκῶσιν καὶ ὄσιν. ne ipsi quidem credebamus quemquam ex hac paragrapho quidquam conclusisse; sed inviti vel Meierum errore teneri adgnoscebamus. quamquam vacillare quodammodo poterat iudicium propter articulum capiti sententiae male intrusum καὶ μὴν ὁ τι βούλεσθε τούτων ἡπτόν ἐστι δεινὸν ἢ εἰ τις ἐξ ὧν οὗτός ἐστι μερῶν εἴποι [τοῖς] βιάζομένους ἐξείναι λέγειν ἢ τοῖς ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου ἢ τοῖς ὧν ἀπέκτεινεν ὁ δῆμος τοὺς πατέρας ἢ τοῖς κτέ. recurrit βιάζεσθαι λέγειν § 38. sed fac dixerit declamator quod dixisse eum volunt, nullam tamen meretur fidem, quandoquidem declamator est, isque iuris Attici non ita peritus. namque § 57 difficultates non eludendae sunt nec enolandae sed rescindendae ita ut poletarum polemarchique munia confusa esse concedatur, vocabulumque τοῦ μετοικίου deleatur. et hoc quidem iam iussisse videmus Herwerdenum. nimirum qui omnia resecat quamvis sana, modo aliquatenus eis possit careri, facere non potest quin interdum aegrum feriat membrum. ceteroquin Batavi hanc orationem luculentissimum sibi eligerunt documentum Libanianae rerum Atticarum ignorantiae ostentandae quam in Bakio acerrimis salibus perfreuit Schoemannus. ipse Cobetus ne hodie quidem erubescit Hyperidi hos magistelli Rhodii Caumiive calamistros tribuere. igitur Hyperides, vel quemcumque ex Demosthenis aequalibus nominant, usus est Ctesiphontea et Midiana editis post mortem Demosthenis. eius orationis quam re vera adversus Aristogitonem habuit Hyperides fragmenta aliquot supersunt; unum addimus quod inter incerta fertur. Myrtilus enim Athenaei xiv 616^b voce γαλαῖον usus ὃν δέ, ὃ Ὀλλυιανέ, inquit, εἰ τὴν γαλαῖον ζήεις, ἔχεις πρὸ Ἰπερείδῃ τῶ βήτορι ὅπου δέ, ὃν ζήεις. quoniam Vlpianus tacet, Pollux respondeat, sed ut veniam roget oscitantiae quam Vlpianus non erat commissurus, dicit X 155 γαλαῖον esse ἐν τοῖς ἐπιγραφομένους Δημοσθένους πρὸς Ἀριστογείτονα. ne spuriam quidem Demosthenis orationem

hinc debbat elicere A. Schaeferus. at Aristogitonis orationes aliquot post Christum natum legebantur, eiusdem procul dubio farinae atque Demadis inutiles declamationes. tam serae aetatis commenta interisse non lugemus. contra ex eis libris qui clarorum saeculi quarti scriptorum nomina mentiti iam medio saeculo tertio in bibliothecas recepti sunt aliquando prosae Graecae qualis diadochorum epigonorumque temporibus scribebatur historia magnam partem concinnabitur, quoniam eius aetatis plura ementiti nominis splendor quam propria virtus conservavit. non sufficit profecto quod constat Ionem Menexemum Hippiam non scriptos esse a Platone, nec orationes Philippicas IV V, in Aristogitonem utramque, adversus Aphobum tertiam a Demosthene, sed scripta haec esse ut Platonica Demosthenicaque viderentur, perinde ac plerasque nobilium hominum epistulas — restat altera quaestionis pars. ubi fuit fraudum fabrica? quando quo consilio qua arte haec ficta sunt? nemo est qui ita interrogatus possit respondere: pauci interrogarunt. en area latissima studiis vestris aperta, commilitones.

Inter libros Schoemanni hodie nullus fortasse rarius legitur quam Agidis et Cleomenis Plutareorum editio in qua etiam in fontes vitarum accurate inquisivit. nec tamen aut novis subsidiis repertis aut subtiliore rerum cognitione parata inutilis is liber redditus est: mutata sane est Plutarchi tractandi ratio, sed ita ut quemvis sobrium pigeat, nedum Schoemannum, qui quam cautissime incedere solebat. sed satis cavisse nobis videmur ne vos, commilitones, his potissimum erroribus abripiamini. itaque exhortationibus parcimus: e re tamen erit diligentius persequi quod in *Hernae* vol.viii p.439 recte quidem sed paullo obscurius dictum est, *ΕΠΑΜΙΝΟΝΔΑΕ* Plutarchei, quam vitam in primis dolebamus esse interceptam, haud tenue compendium extare apud Pausaniam. qui res Epaminondae satis accurate (quamquam ineptias numquam non admiscet et Hadriani cultum hic quoque prae se fert) narravit in *Boeoticis* 13—15 et in *Arcadicis* 11, 4—9 (de paragrapho decima dubitari potest). quae ex uno loco coniunctim depromperit discerpta diversis locis proponere callido eruditionis simulatori in deliciis est. ubi vero haec coniunxeris vitam habes Epaminondae absolutam. quam non ex pluribus historicis consutam esse sed ab uno Epaminondae biographo transcriptam omnino probabile est in Pausania, qui Herodotum quidem et Thucydidem penitus inbiberat, sed ex ceteris historicis fortasse nullum legit: certe non novit Isocrateos aut Philistum aut Hecataeum aut Hieronymum aut Polybium aut Posidonium; de Timaeo res nondum certa. iam vero plura seimus. eximia laude dignus est Nissenus qui Philopoemenem Plutareum a Pausania excerptum esse subtili et acuta disquisitione demonstravit. itaque summam probabilitatis speciem coniectura eadem in Epaminonda per se habet. sed accedunt argumenta idonea tria quibus vel invitis extorquetur adsensus. laudatur Epaminondas a Pausania tanquam summus Graecorum dux, *Ακκεδαμονίων μὲν γὰρ καὶ Ἀθηναίων τοῖς ἡγεμόσι πόλεων τε ἄξιωμα ὑπέσχετο ἐκ Πηλοπονήσου καὶ οἱ στρατιωτικὴ φρονίματος τὸ ἴσον ἔχοντες. Θηβαίους δὲ Ἐπαμεινώνδας ἀθύρους τῆς γνώμας καὶ ἄλλων ἀκούειν εἰσθότως ἀπέσχετο ἐν οὗ πολλῶν πρωτεύοντος.* hic quisquis Plutareum bene novit Boeoti scriptoris patriae amatissimi tantum non ipsa verba audiet. accedit gravius. Epaminondam et Scipionem Africanum minorem uno eoque primo vitarum parallelarum libro comprehensos fuisse demonstravit vir egregie de Plutarcho meritis C. Th. Michaelis. seriem autem vitarum ab eis exorsus est Plutarchus ut summum Graecorum cum summo Romanorum viro componeret. ne quis

in Scipione haereat, ipse Plutarchus dum ad vitam eius provocat Scipionem primum ac summum Romanorum vocat (C. Gracch. 10). alterum argumentum suppeditat epigramma quod in statua Epaminondae fuisse Pausanias dicit. videri poterat hoc vel ipse descripsisse vel aliunde addidisse, nam etiam Philopoemenis vitae carmen subiectum est quod a Plutarcho non sumpsit, sed primum versum etiam Plutarchus habet insertum dissertationis qua ne suaviter quidem secundum Epicurum vivi posse demonstrat capiti decimo sexto. atque copiis ibi se uti quas ad vitas suas componendas undique conlegerat consentaneum est, cum continuo et epigrammatis versus sequatur quod e Posidonio excerptum in Marcelli vita proponit et Epaminondae apophthegma. apophthegmata ex Plutarchi vitis is quoque excerpit qui Plutarcho librum hoc nomine inscriptum supposuit. alterum igitur tenemus Epaminondae Plutarchei excerptum, quod ubi cum Pausania contuleris uno eoque gravissimo loco accuratissime conspirare animadvertes. narratiuncula duodecima haec est εἰδὼς δὲ τοὺς Σπαρτιατάς ἐπικρύπτεσθαι τὰ τοιαῦτα συμπτώματα (agitur de pugna Leuctrica) καὶ βουλόμενος ἐξελέγξει τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς αὐτῶν οὐχ ὅμοῦ πᾶσι νεκρῶν ἀνάρσεων ἀλλ' ἐκάστοις κατὰ πόλιν ἔδωκεν, ὥστε πλείονας ἢ χίλιους ὄντας ὀφθῆναι τοῖς Ἀκκεδαμονίων. paullo prolixius Pausanias IX 13 11 Ἐπαμεινώνδας δὲ ἐπιστάμενος ὡς ἐπικρύπτεσθαι τὰς συμφορὰς αἰεὶ ποτε οἱ Ἀκκεδαμονῖοι πεφύκασι, ἔπραξεν ἀνάρσεων τῶν νεκρῶν προτέροις αὐτῶν διδόναι τοῖς συμμάχοις, ἐπὶ δὲ ἐκείνοις ἀνελομένοις οὕτω καὶ τοῖς Ἀκκεδαμονίοις ἡξίου θάπτειν τοὺς αὐτῶν . . . ἀπέθικον δὲ . . . Ἀκκεδαμονίων αὐτῶν πλείους ἢ χίλιοι.

Poteramus multa addere, donec aut copia aut voluntas nos deficeret vobiscum confabulandi et quid in arte nostra pulerum esset quid turpe quid utile quid non edisserendi, debebamus multo plura etiam quam possemus, si per singula nomina deinceps omnia Schoemanni scripta expenderemus, ut quatenus veram viam monstrasset, quatenus ultra eum ars nostra processisset, sive in avia contra eius exemplum decrasset in clara luce collocaretur. sed et vires nostras et commentarioli spatium hoc excederet. nec opus est. quae vir bonus in arte promovenda recte facit ea non pro vitae humanae brevitate sed pro artis longitudine durant; κακῶς δὲ θνητῶν ἐξέστην ὅταν τύχη προθεῖς κάτοπτρον ὥστε παρθένῳ νέχ χρόνος. Schoemannum vero grammatica in universitate nostra tamquam ἀρχηγέτην καὶ κτίστην semper colet. nolite oblivisci, commilitones, quam recens in antiquissima hac litterarum sede haec nostra ars sit. ardentem nobis tradidit lampadem qui accenderat: nos ne extinguatur providemus: vos eandem aliquando excepturos esse mementote: mementote Schoemanni.

Dabamus Non. Iun.





PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA Wilamowitz-Moellendorff, Ulrich von
3523 Commentariolum grammaticum
W54

